



1. Carpvov / i. iac. / Specimen quintum
de Applicatione Methodi Scienti-
ficae ad Theologiam revelatam,
Iena.
2. Carpvov / i. joh. Bened. / Diss. de
iure decidendi Controversias theolo-
gicas, Lipsiae, 1695.
3. Deutschmann / i. Abrah. Henr. /
Diss. de Immortalitate et Immuta-
bilitate Divinae Essentiae, Witten-
berga, 1692.
4. Gerner / i. Salam. / Diss. II. de Eccle-
sia triumphante in caelis,
Wittenberga, 1695.

PROGRAMMA
DE
INTERPRETATIONE
S. SCRIPTURÆ
DISPUTATIONIBUS
ad singula doctrinæ Christianæ
capita

publicè habendis

præmissum

à

CHRISTOPHORO TOBIA
WIDEBURGIO,

S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ordin.



HELMSTADT,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
ANN. MDCCCV.

40
27

PROGRAMMA
DE
INTERPRETATIONE
SCRIPTURAE

DISPUTATIONIBUS
de singulis doctrinis Christianis

capitulis

publicis habendis

in

CHRISTOPHORO TOBIA
WIDEBERGIO.

S. Theol. D. Eisenachense Prof. Publ. Ordin.



HERNSTADT

Typis Georg-Wolfgangi Hammel, Acad. Typogr.
ANN. MDCCCV.





Sanctissimæ Disciplinarum S. Theologiæ
STUDIOSIS

S. P. D.

CHRISTOPH. TOBIAS WIDEBURGIUS

S. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin.

Romulgavit benignissimum Numen sa-
crarum literarum tabulas mortalibus,
eum præcipue in finem, ut omnia do-
cerent, quæ ad æternam animi corpo-
risque salutem aliquando obtinendam, vel cognoscen-
da nobis, vel facienda sunt. *Quæ antea scripta sunt, in
nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & con-
solationem scripturarum spem haberemus; inquit Paulus
ad Rom. XV, 4. Propter nos itaque, prout ad hæc
Apostoli verba B. Lutherus commentatur, omnia scri-
pta sunt, ut doceamur. Ad alios autem docendos frustra
adhibetur, cujus sensum nemo eorum qui docendi
sunt assequi potest. Si incertum sonum tuba dederit, quis
apparabitur ad bellum?* quærit idem Apostolus I. Cor.
XIV. 8. *Utique nemo,* respondet ad hanc quæstionem
Guilielmus Estius in Academia Duacena quondam Pro-
fessor

e

effor primarius, quia sonus indistinctus hoc non loquitur. Sic si quis linguis peregrinis in conventu loquatur, & ignotis, quid proderit? Nihil profecto. Ratio manifesta est, quia loquentem nemo intelligit. Postquam igitur clementissimum Numen quæ ad veram sui agnitionem & sincerum Majestatis suæ cultum pertinentia hominum generi manifestaverat, per amanuenses suos literis consignari voluit, tali sermonis genere divinos scriptores uti fecit, cujus interventu commode pervenire possent in notitiam eorum, quibus voluntatem suam & consequendæ salutis rationes potissimum innotescere volebat. Elegerat autem sibi primitus in peculium & speciali revelatione præ omnibus aliis terræ populis præcipue dignabatur Jacobi posteros, qui hebraico sermonis genere utebantur. Hinc eodem idiomate V. T. tabulas consignari voluit. Postquam vero, scisso templi aulæo, sublatum est septimo quo Israelitici a reliquis universi orbis populis separabantur, & divina bonitas omnes ad veritatis agnitionem pervenire & obtinendæ salutis rationem nosse voluit, salutarem quoque Evangelii doctrinam Græcorum sermone consignari fecit. *Legebantur enim tum*, prout Cicero in oratione pro Archia testatur, *Græca in omnibus fere gentibus*; & hoc potissimum idioma commodum erat, quo non solum per Italiam, quæ eodem teste tum *plena erat græcarum artium ac disciplinarum*, sed per totum orbem Romanum celestis doctrina disseminaretur, & inde in vicinorum quoque populorum notitiam perveniret. Non certe casu hoc aut fortuito accidit, sed divino consilio & eum in finem factum fuit, ut divinæ voluntatis indicium

7
cium omnibus innotesceret. Ceterum quod de idio-
mate sacrarum literarum scopo maxime conveniente
modo dixi, idem de sermonis etiam habitu, & ver-
borum significatione statuendum. Nihil videlicet eo-
rum quæ sunt omnibus ad consequendam animæ sa-
lutem necessaria nominare licet, quod non in Pro-
phetarum & Apostolorum monumentis verbis adeo
planis apertis & perspicuis alicubi proponatur, ut de
genuino sensu dubitare nequeat, quisquis linguæ pe-
ritus proprias verborum significationes intelligit. Ve-
teres sane in primitiva ecclesia Doctores verborum
proprietati sic adhæsisse novimus, ut cum hæreticis
de rebus ad fidem pertinentibus disputantes, ipsos a-
liquando gentium philosophos iudices admiserint,
quando de vero verborum sensu dubitabatur. Potest
enim utique mentem dicentis assequi qui assensum
denegat. Distinguendum autem hic est, inter res
ipsas, quas Scriptura proponit ad perennem felicita-
tem obtinendam necessarias, & inter verba, quibus a
divinis Scriptoribus exprimuntur. Sicuti enim de re
plana & omnibus notissima obscure & perplexe loqui
possimus, sic de rebus obscuris & impervestigalibus
sermo planus & perspicuus institui potest. Quod er-
go ad res ipsas attinet, quæ in scriptura nobis creden-
dæ proponuntur, plurimas earum obscuras omnino
& inevidentes esse ipsi novistis. Mystera enim sunt
quæ fide amplectimur, *fides autem est eorum quæ non
videntur* Hebr. XI. 1. Periclitaretur autem hominum
salus, & periret Scripturæ totius tum sufficientia tum
perspicuitas, si inter articulos fidei qui sub periculo
amittendæ salutis omnibus credendi sunt, quicquam

referendum esset, quod non alicubi claris & perspicuis
verbis in verbo Dei scriptum exstet. Quamvis au-
tem singula eorum quæ ad salutis fundamentum per-
tinent in perspicuis contineantur Scripturæ locis, de
quorum sensu non facile quisquam dubitare possit:
plurima tamen in Prophetarum Apostolorumque
scriniis reperiuntur, quæ obscurius dicta, & proinde
intellectu sunt difficiliora. In iis certe quæ Paulus
scripsit *doctrina nostra h. e.* explicatu difficiliora quædam
esse, Petrus agnoscit II. Epist. III. 16. Quæ autem de
gentium Doctore ibidem dicuntur, hæc de cæteris
quoque qui divinum codicem consignarunt scriptoribus
affirmare licet; quod in scriptis eorum inveniuntur
multa, quæ sint & intellectu & explicatu difficilia. Ita
enim Spiritus S. cujus inspiratione scripserunt, tempe-
rari voluit verbi perspicuitatem, ut & docere mor-
tales sufficientissime ac clarissime posset viam conse-
quendæ salutis, & simul industriam eorum excitare,
imbecillitatis nostræ nos admonere, & in legentium
animis perfectioris cognitionis, in altera demum vita
obtinendæ, desiderium movere. *Nemo ambi-
git*, scribit Augustinus I. II. de Doctrina Christiana
Cap. VI. *cum aliqua difficultate quæsitæ, multo gratius
inveniunt. Qui enim prorsus non inveniunt quod querunt,
fame laborant. Qui autem non querunt, quia in promptu
habent, fastidio sepe marcescunt. In utroque autem lan-
guor cavendus est. Magnifice igitur & salubriter Spi-
ritus S. ita scripturas sanctas modificavit, ut locis aper-
tioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia de-
teperet. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur,
quod non planissime dictum alibi reperitur. In iis igitur
quæ*

non iunt omnibus ad obtinendam animæ felicitatem
scitu necessaria tum investigandis tum explicandis sic
exerceri voluit Deus industriam nostram, ut perfe-
ctam scripturæ totius intelligentiam in hac mortali
vita nemo sibi possit polliceri. Ceterum per verum
& genuinum Scripturæ sensum hic intelligimus eum,
quem Spiritus S. autor Scripturæ, intendit & signi-
ficari voluit. Hunc à Theologis in literalem & my-
sticum dispesci nostis. *Significatio illa, inquit Doctor
angelicus part I. q. I. lib. X. aut est rerum per voces, &
hic est sensus literalis, aut est rerum per alias res vocibus
significatas, & hoc tripliciter, aut referendo ad actus hu-
manos, & sic est moralis, aut res veteris legis significans
res novæ legis, & sic erit allegoricus, aut res futura
vitæ & sic erit anagogicus.* Literalis igitur sensus è
verbis oritur recte intellectis, sive propria sint, sive
tropo aut figura quadam affecta. Quoties enim pro-
pria est Scripturæ dictio, is erit sensus literalis, quem
ipsa verba in significatione propria sumta in audienti-
um vel legentium intellectu gignunt. Sin figurata
fuerit dictio, literalis erit sensus, quem verba impro-
pria à tropo vel figura liberata, & in propriam dictio-
nem conversa suppeditant. Nihil horum quenquam
vestrum latere potest, qui modo in memoriam re-
vocare voluerit, quæ in Philosophorum auditoriis de
predicatione propria & impropria toties audivit. Idem
vero etiam docet Thomas loco jam citato. *Literalis
sensus, inquit, non est ipsa figura, sed id quod figuratum
est. Non enim cum scriptura nominat brachium, est lite-
ralis sensus, quod in Deo sit huiusmodi corporale membrum,
sed id quod per membrum significatur, scilicet virtus im-*
pra-

peratris. Hic sensus quem literalem vocavimus in iis scripturæ locis in quibus præcipue dogmata proponuntur, quæ sunt omnibus ad salutem scitu necessaria, tam est clarus & manifestus, ut ad hujusmodi loca intelligenda opus non sit externa quadam luce. Spiritus enim S. dictionis perspicuitate ignorantiae tenebras dispellit, & mentis caliginem illustrat. *Si obiectum est Evangelium nostrum*, scribit Apostolus II. Cor. IV. 3. *iis qui pereunt obiectum est, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, i. e. infidelibus, ad hoc, ne irradiet eos lumen Evangelii Christi.* Si est in aliis locis difficultas, non est interpretandi ratio aliunde petenda, sed ex ipsa Scriptura. Audiamus de eo Chrysostomum qui in cap. V. Es. inter alia hæc suppetat: *Oportet non nunquam aliquot divinæ Scripturæ loca allegorice interpretari; ubi convenit nos subsequi mentem Scripturæ, & ad eum modum uti allegoriæ tropo.* Non enim permisit illa, ut penes auditores esset auctoritas accommodandi à se dicta, quibus vellet rebus aut personis, sed Scriptura ipsa prævertens scripturam interpretatur. Primum igitur & præcipuum interpretandi principium hoc esse debet, ut Scripturæ verba non alio sensu aut conceptu intelligamus, quam eo, quem significatio propria in legentium vel audientium animis gignit; ad figuras autem & tropos nunquam perveniamus nisi tum, quando verba proprie sumta vel cum aliis divinorum scriptorum verbis è diametro pugnant, vel manifestam involvunt absurditatem. Judicium vero de contradictione in rebus ad fidem pertinentibus nequaquam permittendum est rationi, cum ea, nec potestatis, nec voluntatis divinæ pernoscendæ regula sit idonea. Non illius, quia Deum non vidit unquam.

Non

Non hujus, quia potest facere plus quam intelligimus.
Eph. III. 20. Præterea neque rerum naturalium omnium
vires omnes eum in modum cognitæ habet & explora-
tas, ut quid fieri per eas, hoc vel illo modo, possit, exacte
determinare queat. Itaque non sunt propterea in alium
sensum trahenda Scripturæ verba, si nos in proprio sen-
su accepta non possimus assequi. Cogitandum potius
est, Deum hoc dicere, qui præstare possit quod dixit.
Hic non ea solum quæ ex lumine naturæ cognosci pos-
sunt in verbo suo consignari voluit, sed & sacris ama-
nuensibus plurima revelavit, quæ ingenii humani vi-
ribus pervestigari nequeunt. Quin si ea solum inno-
tescere nobis voluisset, quæ sunt rectæ rationi pervesti-
gabilia, nulla fuisset opus peculiari revelatione. Cum
Abrahamo dixisset Deus: macta filium tuum; non alio
sensu credentium Pater accipiebat loquentis verba,
quam prout sonabant, etsi exemplum simile nunquam
antea vel vidisset, vel audivisset. Pari modo quoties
nos Deum in verbo suo loquentem audimus, non sta-
tim à verborum proprietate recedendum est, si res ipsa
nova nobis, & absque simili exemplo, aut etiam aliquo
modo absurda videatur, & impossibilis. Nequaquam
enim semper quæ videntur alicui absurda, aut impos-
sibilia, hæc etiam talia sunt. Verum enim vero, dum
hoc asserimus, quod accipienda sint Scripturarum verba
sensu literali, & eum in modum, quemadmodum pro-
xime & naturalis super ea fertur hominum intellectus,
nequaquam id sic accipi volumus, quod metaphoricæ
& figuratæ voces omnes excludendas esse arbitremur.
Quando divinus Vates de N. T. temporibus inter alia
hoc vaticinatur: Lupus cum agno cubabit, literalem

B

ver-

verborum sensum non eum esse novimus, quem verba in propria significatione præferunt, sed istum, quem Spiritus S. intendit, quod videlicet gentes, insensibilissimos Judæorum hostes, Christus sit cum Judæis in unam ecclesiam congregaturus. Sed figurata hujusmodi aut allegorica dicta quæ in divinis Scripturis occurrunt, ejusmodi sunt, quæ & in communi usu recepta sint, & præterea convenientiam habeant cum rebus ipsis, quibus significandis sunt destinata. Sic nemo non intelligit per lupum & vulpem à Christo notari Pseudopphetas & Herodem, atque adeo lupum nihil aliud significare quam hominem crudelem, vulpem denotare hominem astutum. Hinc ad figuratas hujusmodi interpretationes transire non licet, nisi hæc duo concurrant, ut & loquendi modus ab usitata hominum consuetudine non prorsus abluat, & præterea in rebus ipsis convenientia reperiatur: quorum si alterum desit, Spiritus S. mentem non assequuntur, qui à propria verborum explicatione ad tropicam vel figuratam interpretationem desectunt. Semper autem in his explicandis observandum est discrimen, quod supra declaravimus, ut distinguatur inter ea, quæ ad æternam felicitatem obtinendam cuius scitu necessaria sunt, & inter ea quæ citra salutis dispendium ignorari possunt. Hæc enim quæ posterioris generis sunt, difficultatibus interdum implicari jam diximus. Obscuriora hujusmodi loca duplicis generis esse deprehendimus. Aliqua enim eorum quæ in Prophetarum & Apostolorum scriptis continentur in semetipsis habent aliquam obscuritatis rationem: alia autem in se clarissima sunt & maxime perspicua, sed si collatio instituat cum aliis scripturæ verbis, difficilior inde

inde redditur interpretatio. Quæ ad priorem classẽ referuntur, in iis obscuritatis causa latet vel in verbis, vel in rebus. Sicuti enim de rebus obscurissimis & nobis propemodum impervestigabilibus clare possumus & perspicue loqui, ita vicissim, si verba loquentis obscuriora fuerint, orationi vel scripto conciliatur obscuritas, quamvis res ipsa sit notissima & maxime perspicua. Obscuritas ea quæ in verbis latet, vel è diversa singularum vocum acceptione, vel ex earundem connectione originem ducit. Sicuti enim ad omnem enunciationem duo requiruntur termini, sic ad orationem plura requiruntur verba, apte coniungenda. Hinc ad scriptum aliquid recte interpretandum, requiruntur duo, ut & verba seorsim in conveniente significatione sumantur, & enunciationum ex iis compositarum sensus recte exprimat. Investigandis verborum significationibus inservit Grammatica vocum expositio, & emphasis, si qua forte in iis latet, diligens observatio, nec non prudens collatio aliorum Scripturæ locorum, in quibus vox ea, vel in eadem, vel in diversa significatione usurpatur. Troporum & figurarum explicationibus Rhetorum præcepta inserviunt. Utitur quoque scriptura subinde parabolis & similitudinibus ex intimis naturæ penetralibus deductis, quæ absque rerum naturalium haud vulgari cognitione commode explicari nequeunt. Colligimus inde, quod non vulgarem linguarum notitiam, accuratam Troporum & figurarum Rhetoricarum cognitionem, nec non exquisitam rerum physicarum scientiam ratio nostra, è philosophorum scholis afferre debeat, ad eruendos è Scriptura divinæ sapientiæ thesauros.

sensu rimando utilissimam & necessariam operam præstant, diligens ordinis observatio, singulorum membrorum apta dispositio, scopi totius orationis prudens investigatio, singulorum argumentorum inquisitio & analysis. In his vero omnibus parum prudenter se geret, quisquis illotis manibus sacrum codicem quasi contaminare, non veretur, & absque accurata doctrinæ Logicæ cognitione ad interpretationem divinorum scriptorum accedit. Utramque vero paginam hic facit analogia fidei nunquam non attendenda. Postquam enim, ut supra ostendi, dogmata cuius ad salutem cognitu necessaria alicubi proponuntur verbis clavis & perspicuis, ex his reliqua quæ difficultatem aliquam habent, lucem accipiunt. Etenim est perspicuis Scripturæ verbis colligitur fidei regula, h. e. summa totius doctrinæ cœlestis, ad quam reliquorum expositio conformanda. Partes ejus duæ constitui solent, prior agit de fide, posterior de caritate. Priorum præcipua capita in symbolo apostolico recte explicato, posteriorum summa decalogo continetur. Cavendum igitur est, ne in obscuriorum Scripturæ locorum explicatione quicquam proferatur, quod pugnet cum hac norma sanorum verborum, est clarissimis verbis exstructa. *Cum divinos libros legimus, sunt hæc Augustini verba de Genesi ad literam Cap. XXI. in fin. in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate catholice fidei muniuntur, tenendum quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus. Si autem hoc latet, id certe quod circumstantia scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id, quod sana fides præscribit.*

scribit. Aliud enim est, quid potissimum scriptor senserit, non dignoscere, aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis. Si vero utrumque vitari non potest, etiamsi voluntas scriptoris incerta sit, sane fidei congruam non inutile est tenuisse sententiam. Quemadmodum vero fidei analogia ubique servanda, sic non temere recedendum est à praxi Ecclesiæ, decretis conciliorum, Patrum sententiis, & Doctorum nostrorum interpretationibus. Equidem si Scriptura semetipsam explicans diversum iubeat, nemo ambigit, quin Deo magis quam homini credendum. Si fontium inspectio, scopi, antecedentium & consequentium prudens observatio clare ostendant genuinum loci sensum non attigisse Doctorem, quis non eum sequi malit sensum, qui adminiculo horum mediolorum ex ipso textu eruitur? Quis non cum Augustino non pium modo lectorem, sed etiam liberum correctorem desideret proem. l. 3. de Trinitate. Attamen hoc summopere cavendum ne sacro Scriptori vel affectum aliquem vel sententiam tribuamus, aut loquendi modum, de quo non clare nobis constet, Singuli scriptores, inquit Academia Salanæ immortale decus Johannes Gerhardus Tom. I. Loc. Theol. p. 124. V. & N. T. suum habent loquendi modum, aliter Esaias in aula enutritus loquitur, quam Amos pastor, aliter Paulus quam Petrus. Facile concedimus, sed addimus, studio diligenti illam varietatem deprehendi posse. Ex unius Spiritus inspiratione locuti sunt omnes Prophete & Apostoli: unum habuerunt dicendi magistrum, neque Amos inter Pastores, neque Esaias in aula didicit, quæ locutus est, sed à Spiritu S. Cavendum igitur est, ne novis,

7
a communi Doctorum sententia alienis, & citra necessitatem excogitatis interpretationibus vel concordia Ecclesiastica solvatur, vel legentium atque audientium animi turbentur aut distrahantur. *Optimus Scripturae lector est*, scribit Hilarius lib. VI. de Trinit. *qui dictorum intelligentiam expectat è dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat id in dictis contineri, quod ante lectionem præsumpsit cogitandum.* De Pelagianis suo tempore querebatur S. Augustinus, lib. 2. de nuptiis & concupiscentia Cap. XXXI. quod non sua solum dicta in sensus quos vellent detorquere conarentur, sed etiam de Scripturis sanctis, non ubi obscure aliquid dictum est, sed ubi clara & aperta testimonia, id facere consueverint. Utinam vero nostra aetate non inveniuntur in eo Pelagianorum imitatores. Socinianis certe admodum familiare hoc est, ut, more aliorum hæreticorum, citra omnem necessitatem proprium verborum sensum, & antiquitatis ecclesiasticæ consensu confirmatam interpretationem dimittant, ubi nec alia scriptura, nec articulus fidei, nec evidens & sufficienter cognita absurditas cogit. Unico quod dixi exemplo declarabo. Verba Danielis Cap. XII. 2. *Multis dormientium in terra pulveris expergiscentur, hi ad vitam æternam, & illi ad opprobrium, & contumtum semperiternum;* & antiquissimi primitivæ ecclesiæ Doctores, & Theologi nostrates communiter, prout verba sonant, de resurrectione mortuorum accipiunt, nec non Judæi, prout Sebastianus Schmidius in Collegio biblico p. 418. pluribus ostendit, inter præcipuos & clarissimos locos numerant, qui de resurrectione mortuorum & consequente vita æterna agunt. Sociniani autem, à proprietate verborum, & communi sententia,

tentia, recedentes, Danielis vaticinium de captivitate
Babylonica, & liberatione ex illa interpretantur. Vi-
deatur Valentinus Smalcus cœtus Socianorum Raco-
vientiſis Miniſter in Refutatione Frantzii Diſp. VI. Theſ.
18. Non minus clara & aperta ſunt Servatoris noſtri
verba Joh. V. 28. *Veniet hora, in qua omnes qui in monu-
mentis ſunt, audient vocem filii hominis, & prodibunt, qui
bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero male ege-
runt, in reſurrectionem judicii.* Verum & hæc Servato-
ris noſtri verba Sociniani, qui carnis reſurrectionem
negant, in alienum heterodoxiæ ſuæ non repugnantem,
ſenſum trahunt. Per eos enim, qui in monumentis ſunt,
intelligunt gentes, propter ſtatum deploratiſſimum
morti addiſctas. Audire vocem filii Dei, iis eſt occa-
ſionem habere audiendi Evangelium ab Apoſtoliſ præ-
dicatum. Prodire ex monumentis idem ipſiſ eſt quam
liberari ab ignorantia & impietate præterita. Reſurre-
ctionem vitæ interpretantur in eum finem liberari ab
ignorantia & impietate, ut aliquando ſuccedat confeſ-
ſio vitæ. Denique prodire ex monumentis in reſur-
rectionem judicii docent eos, qui liberantur ab igno-
rantia præterita, ſed audito evangelii mala fecerint, ex
parte Dei in hunc finem, ut judicium tandem ſeveriſſi-
mum experiantur. Ita enim Chriſti verba interpretatur
Smalcus l. c. p. 171. & 174. Verum enim vero ſi ſic nu-
gari licet, quicquid tandem proferetur, à proprio & li-
terali ſenſu, quem Spiritus S. intendit, in improprium &
alienum, imo contrarium, trahi poteſt. Ceterum hiſ
immorari non licet, & inſtituti ratio poſtulat, ut de iis
pauca ſubjiciam, qui ſcriptioni huic occaſionem ſuppe-
ditarunt. Sunt illi juvenes ſex ſanctioris doctrinæ cu-
pidiſſimi

JOHANNES CHRISTOPHOR. PHANNENSTEIN
Wernigerodanus-Saxo.

JOHANNES DIETERICUS LIPPERIN Harburgo-
Lunæburgensis.

HENRICUS JOACHIMUS KÖNIG Huldensa-Han-
noveranus.

ZACHARIAS NOLTENIUS Timmerlago-Brunsvi-
censis.


JOHANNES DIETERICUS LEOPOLDI Alefel-
densis.


JOHANNES ALBERTUS CORDEMANN Barn-
storpio-Diepholtensis.


Hi per proximos annos me quoque audiverunt sacra
dogmata publicis privatisque lectionibus explanantem.
Postquam igitur tales se fecisse arbitrantur profectus,
ut religionis Christianæ capita adversus eruditas com-
militonum objectiones tueri queant; me rogaverunt,
ut lectionibus publicis quatuor in hebdomade quavis
interponerem disputationes itidem publicas horis or-
dinariis habendas. Singulorum conflictuum dies, cum
singularam disquisitionum argumentis è tabula publica
significabuntur. Omnes autem sacrarum literarum
Cultores amice invito, ut publicis his commilitonum
suorum disputationibus frequentes adesse velint, nul-
li dubitantes, ex hujusmodi conflictu ad universum
auditorium fructus uberrimos redundaturos.

P.P. in Acad. Julia d. XIX. Julii

MDCCV.







00 A 6466

ULB Halle 3
002 937 239




Sb.

VO 17

2400

HL. 74.







40 2

PROGRAMMA
DE
INTERPRETATIONE
S. SCRIPTURÆ
DISPUTATIONIBUS
ad singula doctrinæ Christianæ
capita

publicè habendis
præmissum
à

CHRISTOPHORO TOBIA
WIDEBURGIO,

S. Theol. D. Ejusdemque Prof. Publ. Ordin.



HELMSTADT,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
ANN. MDCCV.

